AD

M. TULLII CICERONIS ORATOREM

SYMBOLAE CRITICAE

SCRIPSIT

EDUARDUS VOLLBEHR.

De Ciceronis Oratore quae scholarum in usum aut emendando aut explicando identidem commentabar, eorum specimen aliquod cum hominibus doctis communicaturus diu multumque dubitavi, utrum ad has litteras pro virili promovendas, quae probabiliora passim excogitasse mihi viderer, excerpere satius esset, an ad persuadendum aptius statim ab initio dubia quaeque et difficilia via ac ratione persequendo, hujus libelli quae esset conditio grammatica, primae particulae continuitate potius quam totius operis particulis disjunctis ac diversis illustrare. Verum enim quae hodie gliscit multorum hominum grammaticorum libido aut omnia in rebus criticis audendi aut nihil, ea quum hujus etiam libelli editores novissimos male vexatos esse viderem, ut eandem totius libelli fidem manuscriptorum esse nec integerrimam nec desperatissimam appareret, quoniam hujusce generis scripturae sunt cancelli angustissimi, pedetentim progrediendo haec, quae aliorum causa complexi sumus, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparavimus, minora esse maluimus. Itaque jam de paragraphis Oratoris viginti quatuor prioribus ita disputabimus, ut fere omnes locos, qui quidem aut codicum vitiis aut interpretationibus editorum gravius laborent, novis curis pertractatos doctorum hominum judicio denuo subjiciamus.

§ 4. *Quod si quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit.* Sic codices ad unum omnes, praeterquam quod in Vitebergensi *destituet deficiet* legitur adscripto in margine *aut.* Qua in codicum lectione quum diu acquievissent homines docti facilius quam acutius, id quod de corrigendi et necessitate et facilitate admonitus, nisi in hisce quoque reculis ovi Columbiani simplicitas illa valeret difficillima, satis mirari non posses; nuper demum Hermannus Sauppius, Conject. Tullian. Gotting. 1857 p. 6, quum *natura* nullo modo a *vi ingenii* distingui vel ei opponi posset, verba *aut natura sua* delenda esse censuit. Et persuasit de hac litura quamvis non Reinholdo Klotzio ed. orat. Lips. 1860, qui, quum in codicum litterulis relinquendis indo-

cilem quandam tarditatem summi instar ingenii putare videatur, nimirum hoc etiam loco manum de tabula tollere mavult, attamen tam O. Jahnio, Orat. edd. 1851 (per litteras edocto?) et 1859, quam C. L. Kaysero, Orat. ed. 1860, quorum alter quidem interpolationum conjecturas nimis calido consilio arripere solet, Jahnius vero, quo hujus certe interpolationis suspicionem mirum quantum confirmatam esse dixeris, testimonium etiam antiquissimum attulit. Columella enim de re rust. 1 praef. § 28 Tulliana verba imitando in rem suam vertit ita, ut, illa *aut natura sua* quod praetermisit, ne legisse quidem videri possit. Qua de re ut consideratius judicemus, totum ascribere locum liceat: *Post hanc tam multarum tamque multiplicium rerum praedicationem non me praeterit, si, quem desideramus agricolam quemque describimus, exegero a participibus agrestium operum, tardatum iri studia discentium, qui tam variae tamque vastae scientiae desperatione conterriti nolent experiri, quod se assequi posse diffident. Verumtamen quod in Oratore jam M. Tullius rectissime dixit, par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta tentare. Nec si vel illa praestantis ingenii vis vel inclytarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi, sed, quod sapienter speravimus, perseveranter consectari. Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur. An Latiae musae non solos adytis suis Accium et Virgilium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes? Nec Brutum aut Caelium Pollionemve cum Messala et Catulo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis. Nam neque ille ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni Platonique, nec parens eloquentiae, deus ille Maeonius, vastissimis fluminibus facundiae suae posteritatis studia restinxerat. An ne minoris quidem famae opifices per tot jam secula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem Apellemque cum Parrhasio mirati sunt? Nec pulchritudine Jovis Olympii Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere aut quousque progredi possent. Sed in omni genere scientiae et summis admiratio veneratique et inferioribus merita laus contingit.* Habes exemplum imitationis consulto aptatae saeculi argentei auribus Asianis, ut sane addita potius Tullianis quaedam quam dempta esse suspiceris. Verum enim etsi plurima amplificandi ampullis commendare hominibus suis aequalibus voluit Columella, tamen uti haec verba, in quibus nunc ipsum versamur, ita hujus loci alia quoque non tantum non dilatavit, sed coarctavit etiam et amputavit. Quid enim? nonne verba: *Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere* ita contraxit, ut omissis *tertiis* diceret: *Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur?* An *tertiisque* omitti posse quidem etiam apud Ciceronem censeas? Immo ut paulo post de *horum vel secundis vel etiam infra*

secundos dicit Cicero, ita Columella de *eorum et proximis et procul a secundis,* ut male neglectum esse *tertiisque* ab hoc potius quam sine justa causa et paene necessaria additum ab illo facile intelligatur. Plane simili ratione esse statuendum videtur de eo, quod Cicero *Nec solum ab optumis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Jalysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt aut Coae Veneris pulchritudinem imitari, nec simulacro Jovis Olympii aut doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent* dixit, Columella praecidit *An ne minoris quidem famae opifices per tot jam secula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem Apellemque cum Parrhasio mirati sunt? Nec pulchritudine Jovis Olympii Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere aut quousque progredi possent.* Quo in loco non poterat tantum omittere cum Columella Cicero prima illa *Nec solum ab optumis studiis excellentes viri deterriti non sunt,* sed quum statim repetiturus esset *deterriti reliqui minus experti sunt* et paulo antea dixisset *deterruit,* laudares etiam elegantiam omittentis. Quae quum ita sint, nisi sua ipsius veritate commendetur litura, Columellae testimonium nullum esse apparet. Nec tamen ad vulgatam, cujus Sauppius perversitatem intellexit rectius quam correxit, relabi licet. Quod enim annotavit, si quando naturae et disciplinae tertium addatur, quo ad eloquentiam impetrandam opus sit, exercitationem laudari solere, tamen suo loco etiam alia opposita cogitari possunt, ut industria, fides, alia. Veluti Cicero de orat. 1, 25, 115 *Sed sunt, inquit, quidam aut ita lingua haesitantes aut ita voce absoni aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numeram venire non possint.* Ibid. 1, 21, 95 *Ego enim, quantum auguror conjectura quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi majore ac maturiore et labore atque industria superiore, cum se ad audiendum, legendum scribendumque dederit, existat talis orator, qualem quaerimus.* Itaque natura hoc loco potuit ita fere opponi ingenio, ut voluntas facultati. Verum praeter quod ejusmodi oppositio, quoniam *natura* et *ingenium* per se synonymorum potius quam oppositorum loco sunt, accuratius significanda erat; voluntas futuri oratoris verbo *naturae* desiderari hoc quidem loco non videtur, quippe qui mox, etiamsi deficiat natura, eum cursum, quem possit, tenere jubeatur. Huc accedit, ut in vulgata tria membra ter repetita particula *aut* dividantur, quibus non suum cuique, sed duo addantur verba, huic ipsi inconcinnitati ut nesciam an mederi voluerit codicis Vitebergensis dittographus scribendo *destituet deficiet.* Quis denique, ut ultimum refugium vulgatae praecludamus, secundo ferret loco particulam *aut* copulativae similiorem, quam diceres, quum et primo loco

et tertio esset vere disjunctiva? Itaque corrigendus sane est hic locus, sed medicina egere videtur lenissima, ut scribas: *Quodsi quem aut natura sua atque illa praestantis ingenii vis etc.* Plane eodem modo *natura* et *ingenium*, ut idem accuratius exprimatur, aut potius, natura quum etiam corporis dotes contineantur, generi species subjiciatur, conjuncta leguntur pro Muren. 31, 65 *Ac te ipsum, quantum ego opinione auguror, nunc et animi quodam impetu et vi naturae atque ingenii elatum et recentibus praeceptorum studiis flagrantem jam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.* de orat. 1, 25, 113 *Sic igitur, inquit Crassus, sentio, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam.* Quintil. 1, 3, 33 *Tradito sibi puero docendi peritus ingenium ejus imprimis naturamque perspiciat.* Praeterea nostro loco simplici verbo *naturae* additur gravius illud compositum *praestantis ingenii vis* ita, ut adjiciatur etiam pronomen *illa.* Idem fit in Verr. 5, 184 *dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum.* de imper. Pompej. 69 *hoc beneficio populi Romani atque hac potestate praetoria;* non fit pro Sest. 11, 25 *a consulibus atque a summo imperio* (sc. consulari). Confusis autem propter compendiorum usum et similitudinem *aut* et *atque* particulis nihil frequentius in codicibus. Cf. orat. 19 *imitari atque (aut) exprimere.* de fin. 1, 16, 52 *homini infanti aut (atque) impotenti.* de legg. 1, 14, 40 *atque (aut) incauti potius habendi sunt improbi.* Tusc. 4, 3, 6 *nulla fere sunt aut (ac) pauca.* ibid. 5, 39, 115 *delectationem animi ac (aut) voluptatem.* de fin. 1, 10, 34 *Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque in sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent?* Qui locus postremus quum plane geminum fatum et librariorum habuerit et editorum, ut non tantum pro *atque in sanguinem* vulgo ex codicibus legeretur *aut in sanguinem*, quod antea conjectura, mox ipsius codicis Spirensis ope emendatum est, sed etiam Bremius *in liberos aut* deleri juberet, hujus etiam nostrae emendationis fidem mirifice tueri videtur.

§ 9. *Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus.* Omnium Oratoris locorum pessima, ni fallor, crux interpretum, quorum alteri hanc ipsam codicum lectionem intactam retinuerunt, alteri vocem *non* utique expungendam esse censuerunt, ita tamen, ut neque qui retinuerunt, eandem viam ingrederentur interpretandi, nec qui expunxerunt, damnandi similis iis esse causa videretur. Neutris ipsi omnino assensuri priores quid attulerint prius videamus. Et Orellius quidem in operum Tullianorum editione a. 1826 Vol. I. p. 452 „In formis, inquit, ac figuris, ab artificibus fictis, inest aliquid perfectum et excellens (qualche cosa d'ideale), ad cujus speciem cogitatione perceptam (alla cui percezione) quo mens nostra de eo judicium ferat, referuntur ἰδέαι ipsae, quae sub

oculos *non* cadunt." Itaque Orellius, quo mens de ea judicium ferat, rei ideas ipsas refert ad rei cogitatam speciem, quae ipsa est idea rei; quasi quod non videtur illustretur eo, quod non cernatur, aut caecus iter monstrare velit. Satis hoc ad refellendum, ut tacere liceat de ideis ipsis, quae referuntur, quum ad eas referendum sit, de *imitando*, quod perperam Orellius explicavit verbis „quo mens de ea judicium ferat," quippe quod *imitari* ipsius sit artificis, non judicis. Atque hanc hujus loci explanationem ipse mox posthabuit Henrici Meyeri sententiae, quam suam fecit et pluribus illustravit in editione Oratoris a. 1830 sic: „Ut igitur in formis et figuris a summis fictoribus pictoribusque elaboratis inest utique aliquid perfectum et excellens (etwas Ideales), quod cogitatione dumtaxat percipitur, et quo ipso artifex, singulas dum formas imitatur (während er darstellt, nicht: nachahmt), exprimere studet *ea, quae sub oculos ipsa non cadunt*, id est, pulchri ἰδέαν aeternam sibi insitam, quam secutus atque imitatus solum potest efficere illud quod cogitantibus nobis perfectum apparet in singulis ejus operibus contemplandis; nec tamen propterea unquam totum opus vel perfectissimum universam pulchri ἰδέαν amplectitur atque exprimit: sic etiam perfectae eloquentiae ἰδέαν animo videmus, effigiem (die völlige Verwirklichung dieser Idee) nusquam reperimus, sed semper desideramus etiam in optimis eloquentiae exemplaribus." Eandem fere interpretationem amplexus erat O. Jahnius in edit. a. 1851, qui postea in altera editione alteram sectam interpretum secutus est. Verum enim invita Latinitate *cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt* explicari posse censet interpres doctissimus verbis „quod cogitatione dumtaxat percipitur, et quo ipso artifex, singulas dum formas imitatur, exprimere studet pulchri ἰδέαν." Qui enim fieri potest, ut *referuntur* cogitando divellatur ab verbis *ad cogitatam speciem*, ut *referri* hoc loco *exprimi* significet? Ut enim illo usu, quo *referre ad* aliquid revocare suam ad normam, legem, genus significat (cf. Naegelsbach, Stilist. § 107, 2), apud Ciceronem nihil frequentius est, ut vel in libris, qui sunt de finibus bonorum et malorum, sexcenta legantur hujus constructionis exempla; ita alter usus poetarum et scriptorum inferioris esse aetatis videtur. O. quidem Jahnius tantummodo attulit Verg. Aen. XII, 348: *Eumenides — nomine avum referens, animo moribusque parentem*, nec ullum ejus usus exemplum equidem novi Tullianum neque ullum, in quo verba *referre aliquid ad* ita legantur, quin illa verborum constructione et significatione, quam modo diximus, conjungenda sint. Accedit, ut *ea, quae sub oculos ipsa non cadunt*, si essent „ἰδέα pulchri," quoniam pluralis numerus certius quiddam sonare videtur, potius *id, quod sub oculos ipsum non cadit* infinite dicenda essent. Jam ne quid omissum esse videatur potius, quam quod aliquid iis bonae frugis insit, afferre liceat Beieri haec: „Wird aber *non* beibehalten, so bezieht Rec. die Worte *ad cujus cogitatam speciem imitando referuntur ea*

auf den Künstler, welcher nach dem allgemeinen und eben darum in der Wirklichkeit nirgend darstellbaren, der Einbildungskraft nur unbestimmt, wie in unerreichbarer Ferne vorschwebenden Urbilde (τῷ τοῦ εἰκασθέντος γένει, der Platonischen Idee) in seiner Seele ein bestimmtes *Muster* oder *Vorbild* des zu schaffenden Werkes entwirft. Dieses παράδειγμα, cogitata species von etwas Vollkommenem und Vollendetem, was in einem wirklichen *Abbilde* dargestellt wird, welches allein αἰσθητόν, ὁρατόν, φαινόμενον ist, muss andererseits, in Rücksicht auf sein ewiges ἀρχέτυπον, selbst wieder als μίμημα τυπωθὲν ὑπ' αὐτοῦ oder ὁμοίωμα betrachtet werden. Denn zwischen Gott und einem menschlichen Künstler ist nach Platon der Unterschied: Gott hat die Ideen selbst geschaffen und schaut sie unmittelbar an. Der menschliche Künstler aber vermag nur in dem Zustande des Enthusiasmus die Erinnerung an das Reich der im reinen Sonnenglanze übersinnlicher Schönheit strahlenden Urbilder zu beleben. S. Phaedros p. 247 C. 250 A. B. Doch scheint einer solchen Erklärung, wodurch sich *non* allenfalls rechtfertigen liesse, besonders der folgende § entgegen zu seyn.“ Obstat; sed quod etiam magis obstat, est, quod Beiero auctore, quo eodem nomine notavimus interpretationem Meyeri, non ad ideam res refertur, sed ad rem ipsa idea revocatur. Quodsi Beieri paraphrasin interpretari conamur pressius secuti ipsa verba Ciceronis, haec habemus: „Wie es also in der bildenden Kunst etwas Ideales giebt, auf dessen bestimmtes der Seele des Künstlers vorschwebendes Muster und Vorbild bei der Nachahmung das der Einbildungskraft vorschwebende Urbild (die Idee Plato's) bezogen wird, welches selbst nicht sichtbar ist: so —.“ In quo non tantum dispicere non poteris, quomodo tali protasi respondeat apodosis Ciceronis *sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus*; sed etiam alia fingi videtur idea artificis, cujus Plato quidem non nisi μανίαν agnoscit, alia rerum, quamvis Platoni omnis opera artificis mera imitatio rerum, quae sub oculos auresque cadunt, quasi imitationis imitatio, ipsae autem res idearum imitationes esse videantur. Et Platonem quidem perperam interpretatus est jam Seneca, qui epist. 7, 3, 7 censet: *His quintam* [*causam statuae*] *Plato adjicit exemplar, quam ipse ἰδέαν vocat: hoc est enim, ad quod respiciens artifex id, quod destinabat, effecit.* Sed ejusmodi interpretatio per se spectata intelligitur tamen, Beieri autem ambages quis interpretabitur? Qui proximi eorum interpretum, qui v. *non* retinendum esse censent, ad hunc locum illustrandum accesserunt C. Peter et G. Weller edit. a. 1838, eum ita interpretando verterunt: „So wie es in der Sculptur und Malerei ein Ideal giebt, welches das Muster für Alles liefert, was sich in der Wirklichkeit nicht vorfindet (quae sub oculos non cadunt): so muss es auch in der Beredtsamkeit sein. Das Letztere drückt er aber so aus: Eben so haben wir, d. h. alle Redner, welche sind wie sie seyn sollen, ein gedachtes Ideal in unserer Seele, das Ohr giebt

uns nur zuweilen einen Abglanz dieses Ideals." Et habere ea interpretatio primo aspectu videtur, quo commendetur. Verum enim de pulchro disputat Cicero et de ipsa specie pulchritudinis eximia, quae nusquam sub oculos cadat, ut sculptoribus pictoribusque omnino omnia, quaecunque destinant, ad illam speciem referenda sint, nec quaedam, quae sub oculos cadant, servili quadam imitatione exprimenda. Ita enim Cicero ad hunc locum disputando accedit: Informabo summum oratorem, qualis fortasse nemo unquam fuerit totus, sed optimi quique oratores, quos ipsi novimus, aliqua interdum ex parte ad illius summi oratoris laudem accedant. Itaque pulcherrimum illud et summum ipsum nunquam oculis atque auribus, sed tantum animo et cogitatione percipitur. Phidiae quidem et optimorum artificum operibus perfectius quoddam et pulchrius cogitare possumus, nec tamen ad hominum, quos viderent, similitudinem, sed ad ipsam pulchritudinis speciem artem et manum direxerunt ipsi illi artifices. Ut igitur in formis et figuris perfecti ad speciem artificum referenda sunt opera, ut perfecti quasi adumbrata quaedam species consequatur: ita idem accidit in eloquentia.

Hi fere sunt homines docti praeter R. Klotzium, qui qua mente vulgatam retinuerit non liquet, qui interpretando codicum scripturam tueri conati sunt. Jam veniamus ad alteram sectam eorum, qui expungendo vocabulo *non* hujus loci sententiam expediendam esse censuerunt nec numero nec auctoritate nec aetate minores. Etenim jam olim Victorius Var. Lectt. XI, 14 deleto v. *non* in hanc sententiam interpretatus est: „Quae sub oculos ipsa cadunt, id est τὰ ὁρατά, referuntur ad speciem illam cogitatam, cujus ipsa tamquam imago sunt: cogitatam enim speciem vocat ἰδέαν νοητήν, id est, quae cogitatione et mente percipitur: eodem modo ideam eloquentiae mente complectimur, effigiem vero ipsius auribus sentimus." Primum, quod in totam hanc sectam cadit, quo jure quave injuria *non* contra codicum fidem ejiciatur, magna lis est. Orellius quidem nullam rationem excogitari posse dixit, cur in hac parte libri a glossematis satis libera nescio quis inculcasset v. *non.* Et de ipso quidem vocabulo *non* aut omittendo aut adjiciendo Niebuhrius fragm. Cic. oratt. p. 103 nullum se professus est emendandi genus pejus odisse quam illud, quod contra libros negationem aut addat aut tollat. Contra Madvigius de fin. 3, 22, 74 in eo mendo non solum codices ab aliis codicibus coargui et consensum codicum interdum aliis auctoribus cedere videt, sed aliquoties conspirationem eorum adeo manifesta ratione falsi convinci, ut multo minus dubitationis ea correctio habeat quam aliorum occultiorum errorum sublatio. Mihi de toto genere quaestionis infinite positae difficilius dijudicari videtur quam de singulis exemplis; quamquam negari vix potest, vulgus librariorum ad verbum describere maluisse codices quam inter scribendum aut intelligere aut emendare. Verum enim Victorio quidem et qui hunc sequntur cum v. *non* etiam v. *ipsa* extrudendum erat,

cujus v. interpretatio ita dubia est, ut alii interpretes alia satis incredibilia excogitaverint. Etenim C. Beierus censet: „Nicht nöthig wäre es, ausser *non* dann auch *ipsa* (d. i. unmittelbar) zu tilgen, da dieses Pronomen bloss auf einen Gegensatz hindeutet, indem es so viel ist als *secus quam ista species vel idea*.“ Similiter Fr. Goellerus ed. 1838 defendit. Contra J. Bake, De emendando Ciceronis oratore a. 1856 p. 38 „Sub oculos, inquit, non cadit illa species; contra, quae ex illa quasi imagines exprimuntur, cadunt sub oculos: eaque *ipsa* appellat Cicero, Platonis imitatione, qui distinguit inter *αὐτὸ* et *αὐτά*, veluti in Phaedone p. 74 B. C.“ Sed eam distinctionem subtiliorem e media petitam philosophia ita abruptius a Cicerone fieri non potuisse, non est, cur pluribus explicemus. Jahnius denique in editione altera a. 1859 Ciceronem quidem dicentem facit *non*, ipse vero negationem in paraphrasi sua omisit ita: „In der bildenden Kunst wie in der Beredtsamkeit giebt es ein Höchstes, Vollendetes, das in der Wirklichkeit nicht existirt, sondern nur in der Seele des Künstlers lebendig ist, welcher demselben durch die künstlerische Darstellung die sinnliche Existenz zu geben bestrebt ist.“ Quid autem, si suo ibi loco legeretur, vere significaret pronomen *ipsa*, apparet ex Lucret. 5, 1146: *Nam genus humanum defessum vi colere aevum Ex inimicitiis languebat, quo magis ipsum Sponte sua cecidit sub leges artaque jura.* Itaque eis, quae ipsa sua sponte sub oculos caderent, opposita esset perfecti species, quae non sponte sua, sed nescio qua necessitate coacta sub oculos cadere diceretur, quamvis modo neque oculis eam neque auribus neque ullo sensu percipi posse audivissemus. Quum igitur de hoc pronomine interpretando ita non constet inter homines doctos, ut quot interpretes tot fere sint sententiae, quarum tamen nulla vera esse videatur; cumque, ni fallor, nemo aut omissum id desideraret aut non mallet mutare in *ipsos*; satis apparere mihi quidem videtur, ita *non* abjici conjectura non posse, ut de reliquis explicandis etiam multo vehementius ambigatur. Quodsi nec in interpretatione ulla vulgatae acquiescere, nec glossematis, quae videantur, investigandis (J. Bake enim et C. L. Kayser non tantum *non*, sed etiam *imitando* expungendum esse existimant) scripturae mendum tollere possumus, videamus, numne adscribendum potius sit verbum quam delendum sic: *quae sub oculos ipsa non cadente cadunt.* Cujus dittographiae auxilio paratissimo jam omnia mihi sana et integra esse videntur, ut totum locum ita interpreteris: „Wie es also in der bildenden Kunst etwas Vollkommenes und Vorzügliches giebt, auf dessen dem Geiste vorschwebendes Bild dasjenige vermittelst der Nachahmung zurückgeführt wird, was den Augen sichtbar erscheint, während dieses [Bild] selbst unsichtbar bleibt; so gewahren wir auch das Bild der vollkommenen Beredtsamkeit nur mit dem Geiste, sehen uns aber vergebens nach einer Verwirklichung derselben um.“ Jam primum verborum constructione plane eadem Cicero usus est de republ. 1, 4, 7 . . . *salvam esse consu-*

latu abiens in concione, populo Romano idem jurante, juravissem; de leg. 3, 14, 32 *Itaque haud paullo est verius, quam quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status. Ego autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto;* Caesar. B. G. 1, 18 *quod illo licente contrá liceri audeat nemo;* sententiae conformatione simili Cic. parad. 2, 1, 16 *quum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit.* Similiter omissa sunt a librariis vocabula, quae erant iteranda Tusc. 3, 34, 82 *sustulit, sustulit;* ibid. 5, 19, 55 *jussit, jussit;* cf. Seiffert ad hh. ll. Deinde quin *ipsa,* non *ea (illa) ipsa* recte dicatur, quoniam nulla omnino est causa rei satis jam definitae pronomine demonstrandae, quum nemo dubitabit, tum, si tanti videtur, exemplorum copia probatum id esse videbis ab Madvigio Cic. de fin. 2, 28, 93. Praeterea *quae sub oculos . . . cadunt* de artificum et opera et materia rectissime intelligi illustratur iis, quae leguntur de fin. 3, 18, 61 *Prima autem illa naturae, sive secunda sive contraria, sub judicium sapientis et delectum cadunt, estque illa subjecta quasi materies sapientiae.* Porro verbis *in formis et figuris* non ideas, quas Fr. Goellerus putavit, sed fictorum pictorumque artificia dici, et toto contextu rerum atque verborum comprobatur et eo, quod his *formis et figuris* simpliciter breviterque dictis perversissime compararentur, quae mox nominantur *rerum formae,* quum ne species quidem ipsa sua sponte ideae Platonicae memoriam excitet apud Ciceronem, qui in philosophia tot vocabula novavit nec tamen sibi in eorum novitate usque constare aut voluit aut potuit. Cf. de fin. 5, 12, 35 *Corporis nostri partes totaque figura et forma et statura quam apte ad naturam sit, apparet.* in Verr. 2, 4, 58, 129 *Quanta religione fuerit eadem specie ac forma signum illud* (sc. Jovis) de fin. 2, 34, 115 *Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum quam civis excellens ad factorum pulchritudinem.* de fin. 2, 14, 47 *Cujus* [sc. ordinis et moderationis] *similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate, transitum est ad honestatem dictorum atque factorum.* de republ. 2, 29, 51 *Quare prima sit haec forma et species et origo tyranni.* Praeterea *quaerimus* hoc loco κατ' ἐξοχὴν dicitur, ut contrarii loco opponatur *inveniendo,* quasi sit *frustra quaerimus,* quod idem Graeci ζητεῖν dicunt. Cf. de fin. 2, 4, 13 *Et quidem saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco et quod idem valeat; hic nihil fuit, quod quaereremus. Nullum inveniri potest, quod magis idem declaret Latine, quod Graece, quam declarat voluptas.* in Verr. 3, 18, 47 *Campus Leontinus . . . . sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus.* Vide Brouckhus. ad Ovid. Met. 2, 239 Burmann. ad eund. loc. Denique ut in verbis *imitando referuntur* gerundii casus et usus suis quidem certe exemplis illustretur, cf. de Orat. 2, 22, 90 *Accedat exercitatio, qua illum* [sc. oratorem], *quem ante delegerit, imitando effingat atque exprimat.* Ibid. 1, 23, 96 — *imitatione assequi.* pro Balb. 9 *Quem provinciae nostrae castiorem,*

moderatiorem, sanctiorem non modo viderunt, sed aut sperando unquam aut optando cogitaverunt? pro Sest. 1 *Nam ut omittatis de uniuscujusque casu cogitando recordari.* de fin. 5, 19, 53 *Ut omne tempus inquirendo ac discendo in naturae cognitione consumant;* et quae ibi annotavit Madvigius. de orat. 2, 22, 90 *qui illa, quae insignia ac paene vitiosa sunt, consectantur imitando.* de nat. deor. 2, 32, 81 . . . *nemo opifex consequi possit imitando.* Contra alius esse generis videtur Liv. X, 31 *quinam sit ille, quem pigeat longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quae gerentes non fatigaverunt?*

§ 15. *a quo censet eum quum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset uberem et fecundum fuisse gnarumque.* Quodsi in superioribus locis erat, quare haesitaremus cum grammaticis et remedia quaedam leviora ea quidem adhiberemus etiam ipsi; jam ad ea verba scriptoris pervenimus, quae ab corrigendi levitate interpretum nisi vindicanda essent, per sese ipsa ita sana et integra esse viderentur, ut silentio transmitteres. Quum enim v. *censet* J. Bakius p. 39 tollendum esse dixisset, non O. quidem ei Jahnius, sed C. L. Kayser tamen obsecutus est nimio suo, ni fallor, abreptus glossematum agnoscendorum studio. Et Bakius: „Tolerantur haec", inquit „ab omnibus editoribus; quos tamen fugere non poterat *censere* dici tum, ubi vel *placitum*, vel consilium enunciatur facti suscipiendi aut officii imponendi. Putidum sit exempla proferre: sed interpolatum *censet* delendum est: reliqua suspensa sunt a verbo *dicit*, quod fuisse videntur, qui non perspicerent. Aliis locis perperam inter se permutantur *censeo* et *sentio:* sicuti infra § 195 in praecepto legendum est, *ego autem censeo,* non *sentio.* Contra § 197 *qui audiunt, haec duo animadvertunt et jucunda sibi censent,* absurdum est, et corrigendum *sentiunt.*" Ita Bakius, qui etiam hisce de duobus exemplis persuasit Kaysero. Verum hoc quidem est non grammaticam e lingua, sed linguam e grammatica, quam somniaveris, effingere. Quid enim? *Sentio* quidem judicandi, non volgari animadvertendi significatione rarius omnino, sed recte dici exemplis comprobavit satis Madvig. ad fin. 2, 3, 6 et in Addendis p. 867; quem usum non rariorem apud Ciceronem, sed frequentissimum esse contendit R. Kühner ad Tusc. 5, 28, 82, sed exempla adscribere supersedit. At contrarius ille usus, quo v. *censendi* idem, quod v. *existimandi*, significat, etiam promptiore exemplorum copia ab corrigendi libidine defendi potest. Cf. de fin. 1, 10, 34 *Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent?* ibid. 4, 24, 65 *Nisi forte censes Ti. Gracchum patrem non beatiorem fuisse quam filium, quum alter stabilire rem publicam studuerit, alter evertere.* ibid. 5, 3, 8 *Censemus autem facillime te id explanare posse.* de republ. 1, 13, 19 *An tu ad domos nostras non censes pertinere etc.* de orat. 1, 30, 134 *Quid censes etc.* Nimirum ut *sentire* a propria significatione *animadvertendi* ad rario-

rem usum *judicandi* pervenit, ut ab hoc uno verbo et *sententia* et *sensus* fieret, ita verbum *censendi* ab *judicandi* usu profectum ad *existimandi* atque etiam *sentiendi* perlapsum est, addita quidem quadam *judicandi* significatione ita, ut huic quoque loco id verbum aptissimum esse videatur. Sed etiam in reliqua hujus loci lectione codicum acquiescendum negavit Schützius et *didicisse tum uberem* legendum esse censuit; assensi sunt Naber Mnemos. VI. p. 230, Kayser, Jahn edit. alt. Verum enim quis negare potest, et ipsi historiae et toti argumentationi huic Ciceronis convenienter Periclem dici, quamvis alia quaedam praeclara et magnifica de rerum natura ab Anaxagora didicisset, non ipsam artem rhetoricam, tamen ea doctrina uberem posthac oratorem et fecundum fuisse gnarumque etc.? Plato enim, cujus Cicero verba paraphrasi vertit, in Phaedro p. 269 E. πᾶσαι, inquit, *ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν, προςδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι· τὸ γὰρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ τὸ πάντῃ τελεσιουργὸν ἔοικεν ἐντεῦθέν ποθεν εἰςιέναι. ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τὸ εὐφυὴς εἶναι ἐκτήσατο· προςπεσὼν γάρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόςφορον αὐτῷ.* Accedit, ut nostra in constructione *a quo* cum *didicisset*, nec cum *uberem fuisse* conjungendum esse videatur, quam alteram conjunctionem Jahnius frustra illustrare voluit loco Ciceronis ad fam. IX, 16, 7 *etiam haec levior est plaga ab amico quam a debitore*, quippe quod contractius dictum sit pro eo, quod est . . . *plaga quae ab amico quam quae a debitore injicitur.* Itaque si esset corrigendum, quod non est, rectius scriberetur *didicisset tum uberem*, cujus correctionis exemplum simillimum legitur in Rull. 3, 3 *Jam totam legem intelligitis, quum ad paucorum dominationem scripta sit, tum ad Sullanae assignationis rationes esse accommodatam*, ubi sunt editores, qui scribunt *scripta sit, ad Sullanae* nescio, num codicum auctoritate adducti, sed perperam quidem.

§ 16. *Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intelligi posse?* Quae adhuc hic locus habuerit interpretandi fata, ex Orellii annotatione videbis hac: „Hanc codicum lectionem me secuti recte restituerunt amici Meyerus et Beier. Hic in schedis: posse *ziehe auch ich vor wegen der hier im Synathroesmos herrschenden Epanaphora der Praeposition* de, *welche einen ununterbrochenen Zusammenhang der Rede erfordert.* Falsissimam lect. vulgatam, a Lambino introductam: *Quid dicam de natura rerum . . . copiam? de vita . . . de moribus? sine multa . . . intelligi potest?* retinuit Billerbeck. Sed quum ea in lectione v. *de natura rerum . . . de moribus* pendeant e v. *dicam*, verbis *dici et intelligi* nihil remanet, quo referantur; in nostra vero lectione jungenda sunt *dici aut intelligi de natura rerum* cet. Ac

prorsus necessaria esset saltem particula interrogandi ante v. *sine multa.*" Et interrogandi quidem particulam verborumque objectum addendo verum vidisse sibi visus est Joh. Bake l. l. p. 40 „Alii", inquit, „aliter, sed frustra, ut mihi videtur, expedire conati sunt syntaxin, quae sic restituatur: *quid dicam de natura rerum . . . copiam? de vita . . . de moribus quidquamne sine multa . . . intelligi potest?*" Sed praeterquam quod synathroesmi epanaphoram, de qua rectissime admonuit Beierus, similiter sublatam esse vides a Bakio atque in lectione vulgata, ita grassari in scriptoris verba, ut addas mutesque, quae velis, nulla corruptelae nec ansa demonstrata nec definito modo, libidinis, non artis est, ut ne esse quidem videatur, cur ejusmodi commenta, quae vix ipsis auctoribus satis placuisse credas, pluribus refellantur. Equidem nescio, an in lectione codicum, quam retinuerunt Orellius, Goellerus, Jahnius (addendo *non* ante v. *sine multa* etiam magis eam commendare voluit Kayserus) acquiescere possimus. Quamvis enim nobis legentibus sub finem denique totius sententiae apparere videatur, verba *quid . . . de natura etc.* referenda esse ad v. *aut dici aut intelligi posse*, nec statim conjungenda cum v. proximo *dicam*, quam conjunctionem fortasse animo praeceperimus; ei tamen, cui lingua Latina patria est, ut inter legendum nec in alium et suum sermonem singula convertat neque certum statim ab initio verborum ordinem construendo sibi in animo constituat, eundem in errorem non inducitur. Aliud enim est, intelligendi errorem, cui certa quaedam verborum forma sive vertendo sive construendo induta sit, cogitando corrigere, aliud, omnibus verbis animo atque memoria retentis sub finem denique simul cum singulis totam sententiam comprehendendo accuratissime intelligere, id quod hominibus Latinis, qui periodorum ambitus nulla opera et intelligebant et loquebantur, factu facillimum erat. Itaque in quibus id genus verborum structuris interdum haerent interpretes, veluti Tischer in ablativis Ciceronis pro Muren. 10, 23, rectius et Latine rem reputantibus omnia et sanissima et facillima sunt. Verum enim in quo nunc ipsum versamur loco, is ita conformatus esse videtur, ut amplificationis figuram, quae verbis *quid dicam de* inducitur, de qua subtilissime egit Seiffert Schol. latin I p. 46 sq., prae se ferat, cujus figurae destituta exspectatio hoc in loco nescio, an etiam Latii incolis fraudi fuisset. Quae figura ut restituatur, correctione quidem mihi quoque opus esse videtur, sed lenissima hac, ut scribamus: *Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus? Sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici illa aut intelligi posse?* Quamvis enim hujus amplificationis plerumque ea forma est, ut, quae dici non posse dicantur, tamen mox pronomine relativo aut brevius aut explicatius subjungantur (ut de orat. 1, 5, 18 *Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria? quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi praeclarissima*

fuerint in oratore, peritura); ut hoc loco dicendum fuerit: *quae non sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intelligi possunt:* tamen est, ubi Cicero, cujus hunc usum omisit Seiffertus, ab hoc usitatissimo quidem transitu paululum declinet, ita ut huic loco plane simillima dicantur, veluti de leg. 1, 19, 50 *Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque dicemus? Infamiaene metu non esse petulantes, an legum et judiciorum?* Ceterum ad eandem sententiam mutatis verbis redit Cicero § 118 *Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de caritate patriae . . . dici et explicari potest.*

§§ 16. 17. *Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quae sola tum quidem tradebantur ab eis, qui dicendi numerabantur magistri.* Diu haec codicum lectio omnibus interpretibus et facillima intellectu et ab librariorum mendis integerrima visa est, ut Beierus quidem in editione Orellii hoc unum addiderit brevissimum: „De facto discidio quasi linguae atque cordis conf. de orat. 3, 16.“ Ipsa haec verba repetiit Goellerus nec de suo quidquam conferendum esse censuit. Acutius sane, quid difficultatis subesset, quum intellexisset Jahnius, „*Tum,* inquit, *früher.* Die Zeitbestimmung, welche in *tum* liegt, ist aus dem Zusammenhange zu entnehmen: damals, als man die Beredtsamkeit von der Philosophie trennte; vgl. 13. So wird im Griechischen häufig τότε gesetzt, wo man nach oberflächlicher Betrachtung ποτέ erwartet, wenn der bezeichnete Zeitpunkt entweder allgemein bekannt ist oder sich aus dem Zusammenhange ergiebt.“ In quo primum ea re offendimur, quod Latina doctius illustrantur Graecis, nec huic, quod videtur, exemplo latino consimilia adduntur aut Tulliana aut latina certe, id quod saepius peccatur ab veterum scriptorum interpretibus, ut, quae nec accurate cogitandi planeque loquendi communibus omnium linguarum legibus, nec peculiari usui alterius linguae conveniant, ex alterius proprietate explicare posse sibi videantur. Huc accedit, ut ne in Graecis quidem τότε pro eo, quod est ποτέ, dictum sit ita, ut hoc loco *tum* positum esse putat Jahnius. Quid enim? Num etiam ita unquam τότε loco adverbii *olim* dici potuit, ut addita etiam particula γέ et neglecto praeter omnium exspectationem praeteriti temporis spatio ejus, de quo significatum esset proxime, in summo errandi periculo aliud nescio quod tempus perfectum cogitandum esset? Atqui ea ipsa hujus est loci ratio. Codicum enim lectione in duplicem errorem induci videmur, ut aut Periclis aetatem notari putemus atque Demosthenis, aut aliquid certe discriminis significari inter illa particularum *tum quidem* tempora atque Tulliana. Quorum neutrum nec cum artis rhetoricae historia congruit nec cum iis, quae de ea censuit ipse Cicero. Qui quamvis et aliis locis et de orat. 3, 15, 56 accuratissime de his rebus exponat, ita ut ipsos magistros artis rhetoricae jam ab antiquissimis temporibus umbraticos formularum doctores satis ineptos fuisse dicat fere

omnes; tamen neutiquam ignorat, nihilominus jam inde ab aetate Periclis non defuisse, qui artem atque exercitationem scholae cum usu et sapientia forensi perite conjungendam esse docerent. Cf. ibid. 3, 16, 59 *Sed quod erant quidam iique multi, qui aut in re publica propter ancipitem, quae non potest esse sejuncta, faciendi dicendique sapientiam, florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut qui minus ipsi in re publica versarentur, sed hujus tamen ejusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates: inventi sunt, qui, quum ipsi doctrina et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis animi quodam judicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit.* Contra de suae aetatis rhetoribus ab horum magistrorum jejunitate neutiquam alienis idem Cicero l. l. 3, 14, 54 ita: *Quare,* inquit, *omnes istos me auctore deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur neque adhuc, quam personam teneant, aut quid profiteantur intelligere potuerunt.* ibid. 1, 5, 19 *Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant.* De ipso autem particulae *tum* usu Tulliano, qui ab Jahnii interpretatione Graeca multum abhorrere videtur, cf. de fin. 2, 1, 1 *Quando enim Socrates, qui parens philosophiae jure dici potest, quicquam tale fecit? Eorum erat iste mos, qui tum sophistae nominabantur: quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem.* Et de particulae *quidem* ne in Graecis quidem nullo usu adjectae vi peculiari cf. de republ. 2, 22, 40 *Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una [ultima] centuria tum quidem plures censebantur, quam paene in prima classe tota.* Quae quum ita sint, ut ne in Jahnii quidem interpretatione recte acquiescere posse videamur, num omne punctum tulisse dixeris Kayserum, qui haec verba omnia: *quae sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri* utpote a glossatore profecta omnino esse statuit tollenda? Minime. Etenim quae continuo sequuntur verba: *Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur* ita sonare videntur, ut, nisi quo referenda essent jam ex proximis prioribus accuratius intellectum esset, ipsa ita fuerint conformanda, ut causa aliquatenus quamvis obscurius significata rei probandae praemitteretur hoc modo: *Quo fit, ut, quod* [hodie] *alia intelligendi, alia dicendi disciplina est, et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur, veram illam et absolutam elo-*

quentiam nemo consequatur. Atque ne sic quidem transpositis verbis disputandi subtilitati satis consultum esset. In iis enim verbis, quae sola reliquit Kayserus, de solius usu temporis praesentis dicitur, ut etiam, quae deinceps leguntur: *Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem,* quibus de majorum aetate et usu idem dicitur, prorsus inexspectata objiciantur praemissa etiam particula *itaque,* quasi omnia tecta sarta sint. Denique ipsa illa *quae sola tum quidem tradebantur ab eis, qui dicendi numerabantur magistri* si glossatori deberentur Kayseri, qua cum causa commotum esse fingeremus, ut particulam *tum* adjiciendo *quidem* accuratius quam pro glossatore definiret? Quae quum ita sint, ut illa verba, de quibus disputamus, nec omnino ejicere nec codicum vestigia superstitiosius secuti satis intelligere possimus, reliquum est, ut lectionem vulgatam leviter refingamus sic, ut *tum quidem* commutandum esse censeamus in *jam pridem,* quibus particulis etiam aliis locis ab Cicerone additur et imperfectum, et perfectum quod dicunt historicum. Cf. in Catil. 1, 1 *Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jam pridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris.* de fin. 2, 13, 43 *Quae quod Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte jam pridem contra eos desitum est disputari.* de nat. deor. 1, 3, 6 *Multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet et quasi noctem quandam rebus offunderet, desertaeque disciplinae et jam pridem relictae patrocinium necopinatum a nobis esse susceptum.* Acad. post. 1, 1, 2 Sed *habeo opus magnum in manibus, quod jam pridem ad hunc ipsum (me autem dicebat) quaedam institui, quae et sunt magna sane, et limantur a me politius. Et ego, inquam, Varro, jam diu exspectans non audeo tamen flagitare.* Ceterum conferatur Doederlin. Synom. 4 p. 266 et quem ibi laudat A. Grotefend. Comment. p. 162.

§ 18. *Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in ejus mente species eloquentiae, quam cernebat animo, reapse non videbat. Vir autem acerrimo ingenio — sic enim fuit — multa et in se et in aliis desiderans neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat.* Ad patrum judicium, quo princeps eloquentiae esse dicebatur M. Antonius, addendum erat ipsius testimonium Ciceronis, ut, qua mox auctoritate illud dictum Antonii laudaretur, magis etiam appareret. Quodsi Bakius l. l. p. 41, qui verba *vir natura peracutus et prudens* cum Kaysero insititia judicat, *peracutus* convenire magis Stoicorum demonstrationibus censet, mihi quidem toto coelo errare videtur. *Acuti* enim verbum ab sensibus ad animum translatum synonymum est *acris,* nisi quod

acer etiam fortius actuosi est. Qui igitur paulo post *acerrimus* appellatur, quid tandem est causae, cur idem *peracutus* dici non possit? Itaque ubi ipsius oratoris laudes enumerat, utrumque verbum conjungit Cicero de orat. 2, 30, 131 *Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronunciandum expeditum, si erit idem in consuetudine civium suorum hospes etc.* ibid. 1, 51, 223 *Acuto homine nobis opus est etc.* Nec acrius verum vidit Bakius addubitando verbum communius *prudentis,* quippe quod, quo magis efferretur proprii vis verbi *acuti,* superadditum esse videatur. Cf. de orat. 1, 38, 172 *Antonii incredibilis quaedam et divina vis ingenii videtur, etiamsi scientia juris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiae tueri.* Priorem igitur hujus loci partem quum facile tuearis ab grammaticorum libidine, quae proxime sequuntur in libris manuscriptis quamvis negari non possit quin latius loquentis quam pressius cogitantis sint, tamen vehementer dubites, ea quae Kayserus vult omittendo utrum libros manuscriptos, an ipsum corrigas Ciceronem. Mimirum vulgatae lectionis sententia haec est: „Species eloquentiae in Antonii mente insidebat, ut nemo ei orator satis placeret; quodsi illum et suae et Crassi poenitebat eloquentiae, finxit sibi profecto formam eloquentiae his qui vulgo dicuntur oratoribus multo majorem.“ Itaque verbis potius quam rebus paululum immutatis idem bis dixit Cicero chiasmi, quem dicunt, figura usus. Nec tamen ea de causa assentior Kaysero deleri jubenti verba *insidebat videlicet in ejus mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat.* His enim omissis verbis quamvis ex parte corrigantur ea, in quibus facillime haereant, qui hodie haec ita leguntur, ut ingenii acumine ludi quam exprimi amplitudine orationis omnia malint; tamen si hanc normam corrigendi, ut plura ubique significanda quam loquenda aut certe quae intelligi possint, eadem omittenda esse dicamus, studiosius adhibere velimus, nescio, an et hoc loco verba *vir autem acerrimo ingenio — sic enim fuit — multa et in se et in aliis desiderans neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat* eodem modo et jure ejicienda sint, et Liviana multa facili negotio ad brevitatem redigi possint Taciti.

§ 21. *Est autem quidam interjectus inter hos, medius et quasi temperatus, nec acumine posteriorum nec flumine utens superiorum, vicinus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers. Isque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit.* Quam Nonius s. v. *cinnus* exhibet lectionem *flumine* codicum scripturae *fulmine* utique praeferendam esse, quamvis editores adhuc plurimi *fulmine* amplexi sint, equidem cum Orellio Jahnioque nullus dubito. Etsi enim Periclem *fulgere,* tonare, permiscere Graeciam Aristophane auctore dictum grandi genere usum esse infra § 29 dicit Cicero, idemque epist. famil. 9, 21 de eodem genere *verborum fulmina* scribentem facit Paetum (cf. Columell. de re rust. 1 praef. § 30 *Nec*

Brutum aut Coelium Pollionemve cum Messala et Catulo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis) tamen inde non efficitur, ut etiam hoc loco *fulmine* legendum sit. Etenim quum ne epistolarum quidem loco, quem unum similem attulerunt editores, is, qui scribit, Periclis Aristophanisque immemor fuisse videatur, ut de communi inde usu nihil comprobetur; tum rectissime quaerit Orellius, num Cicero alibi metaphorice usus sit v. *fulmine* in numero singulari. At mox *in dicendo fluit* de genere dicitur medio, id quod et posse sibi opponi ipse sensit Orellius, et opposuerunt Goellerus atque cum Petro Wellerus. Verum enim in fluendi vocabulo ad varias orationis rationes adfectionesque adhibendo rhetorum Latinorum intelligentiam suo jure jam olim admiratus est J. Chr. Th. Ernesti lexic. techn. lat. p. 176 sq. (cf. Naegelsbach. Stilist. p. 378 seq.) Is quum quot notiones ex illo vocabulo concipere animo possemus, totidem fere ex eo metaphoras, quibus certas elocutionis virtutes et veluti habitus explicarent, duxisse Romanos docuerit, tres affert notiones has, ut fluere oratio dicatur primum ea, quae nullis numeris adstricta, nulla lege feratur soluta minusque numerosa sit; tum ea, quae sit ita apte composita verbis ac sententiis et vincta numero, ut nusquam neque in ore nec in auribus veluti offendat, sed leni fluxu prolabatur; denique ea, quae sponte, nullo majoris curae ac studii vestigio, jucundo quasi ingenii lusu feratur. Ac ne his quidem Ernestii notionibus numero tribus tota vis hujus vocabuli translati satis declarata videtur. Fluminis enim metaphora etiam copia atque abundantia rerum passim significatur ita, ut ipse Lysias generis subtilis auctor et signifer a Quintiliano Inst. 10, 1, 78 *puro fonti quam magno fluvio propior* dicatur. Neque alia opponuntur ab ipso Cicerone de nat. deor. 2, 1, 1 *Neque enim flumine conturbor inanium verborum nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas.* Ceterum simili errore permutatum est in cod. palimpsesto Ciceronis de re publ. 1, 4, 7 *non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus* (a sec. manu palimpsesti; *fluminibus* a prima manu; *fluctibus* conject. vv. dd.) *ipsis obviam ferre conservandorum civium meisque propriis periculis parere commune reliquis otium.*

§ 23. *qui aut dici se desiderant Atticos aut ipsi Attice volunt dicere.* Qui nomen et honorem affectant Atticismi opponuntur iis, qui ipsam rem assequi student. Simili ratione interpretandi usus est Jahnius. Contra Petrus et Wellerus hanc oppositionem non satis recte sibi informasse videntur. „Der Gegensatz," inquiunt, „dieser zwei Glieder tritt nicht recht deutlich hervor. Für das erste Glied muss der Gegensatz besonders in *dici* liegen, ich erkläre dieses also: *welche den Attikern Schande machen, indem sie selbst für sich diesen Namen in Anspruch nehmen,* und setze diesen diejenigen entgegen, welche sich wenigstens theilweise den Attikern entgegensetzen, aber meinen, sie selbst seien erst die rechten Attiker. So erhält *ipsi* und *Attice* (recht und wahrhaft Attisch) durch die Deutung den Nachdruck, auf welchen es durch die Stellung

Anspruch macht.“ In errorem inducti sunt viri doctissimi eo, quod non intellexerunt id, quod pronomini *ipsi* opponitur, *ab aliis* dico, et propter oppositionis perspicuitatem et propter opposita *dici* atque *dicere* omissum esse. Cf. pro Muren. 27, 55 *ne et ea, quae relicta, et haec, quae ab ipso parata sunt, amittat*; quo loco similiter *a majoribus* supprimitur. Ceterum huic Oratoris loco plane simillima scripsit Cicero de opt. gen. 3, 8 *Haec vitaverunt fere omnes, qui aut Attice numerantur aut dicunt Attice*, nisi quod ii, qui ibi desiderare adhuc et velle dicuntur, jam desiderii sui et voluntatis compotes facti sunt. Constat talia passim apud Ciceronem opponi. Cf. ad famil. 1, 9 *sapientium civium, qualem me et esse et numerari volo.* Similia illa *et esse et haberi*; *esse malle quam videri.* Quodsi, ut huic loco quae insunt opposita magis etiam efferrentur, quae mihi quidem esse sanissima videntur, mutare quis vellet, facili et leni opera scribere posset: *qui aut desiderant Atticos aut ipsi Attice volunt dicere* (Vel: *qui aut dici desiderant aut ipsi Attice volunt dicere.*) Cui correctioni consentirent, quae leguntur de opt. gen. 4, 11 sq. *Quare quoniam nonnullorum sermo jam increbuit partim se ipsos Attice dicere, partim neminem nostrum dicere etc.* In quo verba *dici se* ex dittographia quadam verbi *desiderant* orta esse diceres. Verum enim nec hac correctione leniore opus est, nec multo vehementiore correptione Kayseri, qui omissa altera parte tantummodo retinet haec: *qui Attice volunt dicere.* Ut enim quae nos ipsi modo lusimus utpote non necessaria loco simillimo satis defendi non videbantur, ita Kayseri conjecturam tueri nolis iis, quae leguntur de opt. gen. 7, 23 *erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volent dicere.* Quodsi enim nescio qua medendi libidine quasi ex corpore vivo exsecare velles quaedam sanissimis etiam saniora, eodem modo et jure corrigere posses: *qui se Atticos volunt*, cui correctioni similis locus esset de opt. gen. 5, 15 *Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant.* Tanta alea quum sit locorum parallelorum, quos dicunt, tamen abusu ne ipsum tolli usum existimare videar, equidem nullus dubito, quin infra § 135 codicum verba *aut quum gradatim sursum versum reditur* nec cum Goellero interpolando ea, quae non insunt, explicari possint „aut quum gradatim sursum versum eundo reditur,“ nec cum Kaysero ad Cornif. rhet. p. 294 corrigenda sint: *aut quum gradatim sursum versum itur et reditur*, sed potius cum ipso Cicerone part. orat. 7, 24 *quum . . . idem quasi sursum versum retroque dicatur* etiam hoc loco scribendum sit *aut quum gradatim sursum versum retroque dicitur*, quae quam facillime in litteras corrumpi potuerint codicum, nemo non videt.

Schulnachrichten.

Unter dem 30. Septemher v. J. wurde, nachdem seit dem Abgange des Dr. Jasper von dem Dr. Matthiessen Hülfsunterricht ertheilt worden war, der Dr. ph. W. Berblinger zum achten Lehrer an der Schule allerhöchst ernannt, und die Schule hat an ihm eine Kraft gewonnen, die ganz dazu angethan ist, derselben nützlich zu sein; sie kann nur wünschen, dass derselbe ihr lange erhalten bleibe. Das Lehrercollegium ist somit wieder vollzählig.

Am Anfang des Sommersemesters 1863 wurde die Schule von 104 Schülern besucht. Von diesen gingen im Laufe des Semesters und am Schlusse desselben sieben ab; unter ihnen Alex. Emil Eugen Destinon, geb. in Glückstadt den 12. November 1844, um in Heidelberg Jurisprudenz zu studiren. Er hatte die Prima $2^1/_2$ Jahre besucht und im Maturitätsexamen das Prädicat reif bekommen. Aufgenommen wurden dagegen wieder acht, zwei in Secunda, einer in Quarta, einer in Quinta, vier in Sexta, so dass wir das Wintersemester mit 105 Schülern beginnen konnten. Im Laufe des Semesters verliess ein Schüler die Schule, der Secundaner Jul. Rich. Martens aus Glückstadt, wogegen um Neujahr wieder einer eintrat in dieselbe Classe: G. Schrader aus Bedstedt. Nach geschehener Anmeldung werden zur Universität gehen: Ad. Friedr. Nissen aus Neumünster nach drittehalbjährigem, Jacob Gravert aus Elskop und Joh. Heinr. Friedr. Johannsen aus Crempe nach zweijährigem Besuch der Prima, der erste um Theologie, der zweite um Jurisprudenz, der dritte um Medicin zu studiren. Ausserdem gehen fort aus Secunda J. Knoop aus Glückstadt um Apotheker und A. Wiese ebendaher um Zimmermann zu werden; aus Tertia E. G. Thomsen aus Barkau und H. Schamvogel aus Bramstedt zur Handlung.

Unter dem 16. December v. J. wurde dem Rectorat die Anzeige, dass der Etatsrath Dr. Trede der Regierung seinen Entschluss zu erkennen gegeben habe von der ferneren Fortführung seiner Inspectionsgeschäfte nunmehr entledigt sein zu wollen, und dass demselben unter selbigem Datum erwidert worden sei, wie die Regierung zu ihrem Bedauern diesem Entschlusse sich fügen müsse. Vor mehr als 10 Jahren hatte der Etatsrath Dr. Trede die Leitung der Schulen unseres Landes übernommen, und dieselben müssen dankbar anerkennen, wie sie in dieser Zeit unter einer humanen und ihnen wohlgesinnten Aufsicht ungehemmt und ungestört ihre stille Arbeit haben verrichten können, wie wir hoffen nicht ohne Segen für die Schüler. Seitdem sind andere Zeiten eingetreten; mancher Orten haben sie schon auf die Schulen eingewirkt; es soll nicht unerwähnt bleiben, wie wir noch von dem entbrannten Kriegslärm nicht unterbrochen worden sind. Wie wir dafür unsern Dank dem Lenker der Geschicke aussprechen, so wollen wir die Bitte auch nicht unterdrücken, dass er die Schule auch des Weiteren in seinen besondern Schutz nehmen wolle.

Bibliothek und Sammlungen sind nach den vorhandenen Mitteln vermehrt worden. Von dem hohen Ministerium ist der Schule die weitere Fortsetzung des Briefwechsels von Schumacher und Gauss zu Theil geworden, wofür ich nicht unterlasse den Dank derselben auszusprechen.

Nachricht

über

die beendigten Lectionen.

Prima.

Ordinarius der Rector.

Lateinisch, 8 St. Lateinische Exercitien theils nach Nägelbach's Uebungen, theils besonders nach Stellen aus deutschen Classikern; lateiniche Aufsätze; Extemporalien, 2 St. — Cicero's Reden für den Sestius und für Murena. Cicero vom Redner I und II; das Uebrige dieser Schrift und des Terenz Andria privatim. 4 St. Subr. — Horaz Satiren I und II, 1. 2. 6. Episteln I und II, 1. 2 St. Conr.

Griechisch, 6 St. Grammatik, Exercitien nach Böhme's Uebungen. 1 St. — Demosthenes Rede vom Kranz und Thukydides I. 3 St. — Sophocles Oedipus Rex und Oedipus Coloneus. 2 St. — Privatim wurden gelesen die ersten 20 Bücher des Ilias. Rect.

Hebräisch, 2 St. Das erste Buch Samuelis nebst Grammatik. Conr.

Französisch, 2 St. Mignet Marie Stuart; Poésies de Hugo, de Lamartine, de Delavigne et de Beranger. Mündliche Uebungen. Subr.

Englisch, 2 St. Shakespeare's Romeo und Julie; Byron Childe Harold nebst mündlichen Extemporalien. Conr.

Dänisch, 2 St. Oehlenschläger Nordens Guder bis zu Ende. Mündliche Uebersetzungen aus Schiller. Rect.

Deutsch, 2 St. Litteraturgeschichte bis zu den Zeiten Herders, Aufsätze. Rect.

Religion, 2 St. Glaubenslehre nach Hollenberg's Lehrbuch, Schluss. Evangelium Johannis. Rect.

Geschichte, 2 St. Neuere Geschichte zweite Hälfte; Mittelalter bis zu den fränkischen Kaisern. th. Str.

Alterthümer, 1 St. Römische Verfassungsgeschichte. Rect.

Mathematik, 3 St. Stereometrie, Trigonometrie nach Lübsen. 2 St. — Wiederholung der Arithmetik. 1 St. Gr.

Naturwissenschaften, 2 St. Astronomische Geographie. Die Einrichtung und Verrichtungen des menschlichen Körpers. Coll.

Secunda.

Ordinarius der Conrector.

Lateinisch, 8 St. Exercitien nach Seyffert und Krebs nebst Grammatik nach F. Schultz. 2 St. — Sallust. Catil. und Jugurth. c. 1—7, Cicero pro Milone und pro Dejotaro. 4 St. Conr. — Virgil's Aeneide, B. 8, 68—11, 596. 2 St. th. Str.

Griechisch, 6 St. Grammatik nach Curtius nebst Exercitien nach Böhme. 1 St. — Herod. 8, 1—96, 9, 1—85 und Isokrates Panegyricus. 3 St. Conr. — Homer Odyssee B. 5. 7. 9. 10 bis Michaelis. M., seitdem B.

Hebräisch, 2 St. Erste Abtheilung: Von den Anfängen der Grammatik bis zur Lectüre der Stücke aus der Genesis in Gesenius Lesebuch; zweite Abtheilung: seit Michaelis 1863 die Anfangsgründe der Grammatik bis zum Verbum incl. nebst Anfängen im Analysiren. Conr.

Französisch, 2 St. Bis Michaelis 1863 Corneille's Polyeucte und Racine's Britannicus nebst Extemporalien. Conr. Seitdem Michaud hist. de la première croisade und grammatische Uebungen. B.

Englisch, 2 St. Süpfle's Chrestomathie ausgewählte Stücke. Mündlich ins Englische übersetzt aus Herrig bis Michaelis M., seitdem Conr.

Dänisch, 2 St. Ingemann Erik Menved's Barndom fast bis zu Ende. Rect.

Deutsch, 2 St. Aufsätze, Declamationsübungen, Schiller's Braut von Messina und Maria Stuart. Conr.

Religion, 2 St. Geschichte des neuen Bundes und Kirchengeschichte bis zur Zeit Karls des Grossen nach Hollenberg. Rect.

Geschichte, 3 St. Griechische Geschichte zweite Hälfte, römische erste Hälfte. th. Str.

Mathematik, 3 St. Die Lehre von den Potenzen, Wurzeln und Logarithmen; die schwereren Gleichungen des ersten Grades und Gleichungen des zweiten Grades. Gr.

Naturwissenschaften, 2 St. Botanik; allgemeine Zoologie und die specielle der Säugethiere. Coll.

Tertia.

Ordinarius der Subrector.

Lateinisch, 8 St. Exercitien nach Krebs und Süpfle. 2 St. — Caesar vom Gallischen Kriege, B. VII, VIII, I, 1—22. Grammatik nach Schultz. 4 St. Subr. — Ovid's Verwandlungen, im Sommersemester I, 1—450; 748—780; II, 1—118. M. im Wintersemester II, 119—400; 680—707; III, 1—138; 510—733. B.

Griechisch, 4 St. Xenophon's Anabasis VII, 6, 19—fin. I. 2. 22. 2 St. — Homers Odyssee VIII, 469—fin. I, II, 348. 2 St. Daneben Grammatik nach Curtius, Exercitien nach Rost und Wüstemann. Subr.

Französisch, 2 St. Voltaire's Carl XII, S. 50—146 (in der Ausgabe von Saules). Daneben Grammatik und Exercitien nach Hirzel. Subr.

Englisch, 2 St. Marryat, die Ansiedler in Canada, im Sommersemester S. 50—86, M., im Wintersemester S. 87—150, B.

Dänisch, 2 St. Allen, Fædrelandets Historie, S. 20—200. Die Formenlehre nach Blichert. Coll.

Deutsch, 2 St. Besprechen und Vortragen deutscher Stücke: wöchentliche Aufsätze über Themata aus der Lectüre, der Geschichte und Geographie. Coll.

Religion, 2 St. Die evangelische Geschichte vom Purimfeste bis zur Leidenswoche. Coll.

Geschichte, 2 St. Im Sommersemester: Von Heinrich IV. — Maximilian I. M.; im Wintersemester: Von Maximilian — Ende des dreissigjährigen Krieges. B.

Geographie, 2 St. Amerika, Australien, Asien, Afrika, Mitteleuropa nach Schacht. Coll.

Mathematik, 2 St. Anfangsgründe der Buchstabenrechnung; die leichteren Gleichungen des ersten Grades. Gr.

Naturwissenschaften, 2 St. Physik nach Brettner vom 5ten bis zum 8ten Abschnitt. Coll.

Rechnen, 1 St. Nach Sass. Gr.

Parallelstunden für Tertia.

Französisch, 1 St. De Maistre, Le lépreux; Toepffer, Le grand Saint-Bernard; Capefigue, Charlemagne, ch. I—VI. Subr.

Rechnen, 2 St. Besonders kaufmännisches Rechnen und Algebra. Gr.

Zeichnen, 1 St. Kr.

Quarta.

Ordinarius der fünfte Lehrer.

Lateinisch, 7 St. Mündliche und darnach schriftlich ausgearbeitete Uebersetzungen aus Jacobs Elementarbuch. Die einzelnen Stücke wurden von je einem Schüler memorirt. Zwei wöchentliche Exercitien nebst Syntax. th. Str.

Griechisch, 4 St. Jacobs Elementarbuch. Formenlehre nach Curtius. th. Str.

Französisch, 2 St. Ahn's Lehrgang erster Cursus, zweite Abtheilung. Kr.

Dänisch, 2 St. Grammatische Uebungen nach Flor; Uebersetzen aus dessen Lesebuch. Coll.

Deutsch, 2 St. Lesen, Besprechen, Hersagen deutscher Stücke; wöchentliche Aufsätze über Themata aus der deutschen und lateinischen Lectüre. Coll.

Religion, 3 St. Die fünf Hauptstücke des lutherischen Katechismus. Gelernt wurden dazu Bibelsprüche und Gesängn. Kr.

Geschichte, 2 St. Römische Geschichte nach Pütz. th. Str.

Geographie, 2 St. Schachts Schulgeographie. Einleitung, Skandinavien, Russland, Türkei, Griechenland, Italien. th. Str.

Rechnen, 3 St. Nach Sass. Gr.

Naturwissenschaften, 1 St. Pflanzenkunde, Thierkunde, die Säugethiere nach Burmeister. Coll.

Schreiben, 2 St. Kr.

Zeichnen, 1 St. Kr.

Parallelstunden für Quarta.

Englisch, 2 St. Nach Nissens erstem Cursus. Lectüre von Marryat, the settlers. B.

Rechnen, 2 St. Nach Sass. Gr.

Quinta.

Ordinarius der sechste Lehrer.

Lateinisch, 8 St. Uebungsbuch von Spiess für Quinta. Exercitien (zweimal wöchentlich), grammatische Uebungen. B.

Französisch, 2 St. Ahns Lehrgang, § 1 — § 130. Kr.

Deutsch, 3 St. Die Lehre vom zusammengesetzten Satz. Aufsätze. Hersagen von Gedichten. Kr.

Religion, 3 St. (comb. mit VI). Die biblischen Geschichten des A. T. Gelernt wurden Bibelsprüche und Gesänge. Kr.

Geschichte, 2 St. Biographien und Erzählungen; im Sommersemester aus der neueren Zeit, im Wintersemester aus der altgriechischen Sage. th. Str.

Geographie, 2 St. Nach Schachts Schulgeographie: Schweden, Russland, Einleitung, Griechenland, Türkei, Italien. th. Str.

Naturwissenschaften, 2 St. Pflanzenkunde; Thierkunde: die Säugethiere. Nach Burmeister. Coll.

Rechnen, 4 St. Nach Sass. Gr.

Schreiben, 2 St. (1 comb. mit VI). Kr.

Zeichnen, 1 St. Kr.

Sexta.

Ordinarius der siebente Lehrer.

Lateinisch, 8 St. Exercitien und Uebersetzungen nach Spiess, Grammatik nach Schultz. B.

Deutsch, 4 St. Die Lehre vom einfachen Satz, Aufsätze, Hersagen von Gedichten. Kr.

Religion, 4 St. (comb. mit V). Die biblischen Geschichten des A. T. Gelernt wurden Bibelsprüche und Gesangverse. Kr. — Bibellesen 1 Mos. 1—2, 19. R.

Realien, 6 St. Nach dem Lesebuch in Lebensbildern. Gr.

Rechnen, 4 St. Nach Sass. Gr.

Schreiben, 3 St. (1 St. comb. mit V). Kr.

Zeichnen, 1 St. Kr.

Der Gesangunterricht wurde in 4 wöchentlichen Stunden durch die 4 unteren Classen vom Gesanglehrer Jantzen geleitet.

Oeffentliche Schulprüfung.

Freitag den 11. März.

Sexta. 9—$9^3/_4$ Religion. Kr.
$9^3/_4$—11 Latein. B.
$11^1/_4$—12 Rechnen. Gr.

Secunda. 2—3 Virgil. t. S.
3—4 Isokrates. C.
$4^1/_4$—5 Geschichte. t. S.

Sonnabend den 12. März.

Quarta. 9—10 Latein. t. S.
10—$10^3/_4$ Französisch. Kr.
11—12 Griechisch. t. S.

Montag den 14. März.

Quinta. 9—10 Latein. B.
10—$10^3/_4$ Deutsch. Kr.
11—12 Geschichte. t. S.

Prima. 3—$3^1/_2$ Religion. R.
$3^1/_2$—$4^1/_4$ Horaz. C.
$4^1/_2$—$5^1/_4$ Sophocles. R.
$5^1/_4$—6 Mathematik. Gr.

Dienstag den 15. März.

Tertia. 9—$9^3/_4$ Ovid. B.
$9^3/_4$—$10^1/_2$ Mathematik. Gr.
$10^3/_4$—$11^1/_2$ Geographie. Coll.
$11^1/_2$—12 Xenophon. S.

Freitag den 18. März, Nachmittags 3 Uhr:

Entlassungsfeier. Reden.

A. Nissen: Klopstock als Odendichter.

J. Gravert: Schiller und die Freiheitskriege.

J. Johannsen: Die Poesie ein mächtiger Hebel zur wahren Bildung.

Zur Theilnahme an dieser Feier ladet ehrerhietigst und geziemend ein

Jessen.

Zu der

öffentlichen Classenprüfung

den 11. 12. 14. 15. März,

so wie

zu der Entlassungsfeier und den Reden

Freitag den 18. März, Nachmittags 3 Uhr,

l a d e t

die Behörden der Stadt, sowie alle Freunde der Schule

ehrerbietigst und geziemend ein

Prof. Dr. **P. H. Jessen**, Rector.

Glückstadt, 1864.

Gedruckt bei W. Augustin.